Cracovien Decimarum.

1 ***Rev. Pater.*** NOva contraria Commissio, quæ ad involuendas paginas hodie exadverso proponitur in hoc Supremo Tribunali cum *præinsertione* nostræ Commissionis, jam fauore R. D. Præpositi Cracouiensis Principalis *duplici vice* resolutæ, non aliter signari poteſt quam cum Reſcripto = *In decisis quoad Decretum Nunciaturæ in reliquis de causis à sententia Metropolitani* =, seu potius hoc alio consimili Reſcripto = *De causis à sententia Metropolitani in reliquis in decisis* =; atque exaudiri confidimus ex rationibus latè deductis in *nostris præteritis scriptis*, benignè *reassumendis*, prout humillimè supplicamus.

2 Quod autem spectat ad Decretum Sacræ Nunciaturæ cum omnibus subindè gestis in Curia Cracouiensi merito reſcribendum eſt *in decisis*, quia *ex defectu jurisdictionis* promanat nullitas antedicti Decreti, quo D. Auditor Nunciaturæ Poloniæ in repreſentantia SVPREMI PRINCIPIS, & SIGMATVRÆ circumſcripſit ſententiam diffinitiuam Metropolitani Gneſnenſis cum remiſſione Cauſæ ex integro ad V. Conſiſtorium Cracouiæ, ut in *noſt. præterito Summ. num. primo*; Explorati autem juris eſt Nuncios Apoſtolicos, & multo magis eorum Auditores facultates Signaturæ non habere, tametſi mittantur à Summo Pontifice ad exteras Nationes cum titulo *Legati a Latere*, ut plenè punctualiſſimis *Auctoritatibus* demonſtrauimus in noſtra *præterita Informatione Signaturæ dici* 14. *Decembris proximi præteriti a* § 4. *uſque ad* 10.

3 Pars Aduerſa in *præterita eius Reſponſione* §. 2., jam amplius non impugnat, immo libere admittit, Nuncios, & præſertim eorum Auditores deſtitutos eſſe facultatibus Signaturæ, ſed revoluendo pallium ait, D. Auditorem Nunciaturæ non proceſſiſſe in figura Principis, & Signaturæ, ſed in figura *Iudicis Appellationis*, & in hac figura potuiſſe circumſcribere tamquam nullam ſententiam Metropolitani, cum Iudex appellationis valeat etiam ex capite *nullitatis* Iudicatum, a quo appellatur, circumſcribere.

4 Sed fruſtrà, quia quamvis Partes Collitigantes recurſum habuerint ad D. Auditorem Nunciaturæ non in figura Signaturæ, ſed in figura Iudicis Appellationis, ut patet ex *noſtro principal. Summ. num.* 1., adhuc tamen præfatus D. Auditor noluit procedere in figura Iudicis appellationis per confirmationem, vel infirmationem præcedentis ſententiæ Metropolitani, ſed ſibi arrogando facultates *Supremi Principis*, proceſſit, ac vere procedere voluit in figura *Signaturæ*, eo ipſo, quod dumtaxat per ſimplex Decretum *præuia circumſcriptione ſententiæ Metropolitani remiſit Cauſam* ad Ordinarium Cracouiæ *pro ulteriori cognitione, & deciſione*, quemadmodum patefacit tenor Decreti, de quo in d. *noſtro præterito Summ. num.* 1. *lit. A.* ibi = *Rmus D. Auditor &c. poſtremum Decretum in Ven. Iudio Archiepiſcopali Metropolitano Gneſnen. defini-*

finitiue prolatum in hac Causa CIRCVMSCRIPSIT *&c.*, PRÆ-SENTEMQVE CAVSAM *ad Ven. Consistorium Generale Cracouiæ* PRO VLTERIORI COGNITIONE, *&* DECISIONE *&c.* REMISIT *&c.*

5 Quapropter circumscribere, & *remittere* Causam est procedere in representantiam *Supremi Principis, & Signaturæ*, non autem in figura *Iudicis Appellationis*, cum modus circumscribendi præceden Iudicatum a quo in figura *Iudicis Appellationis* fit per sententiam infirmare, & circumscribere præcedens Judicatum reseruando sibi cognitionem Causæ super meritis, & negocio principali, vel una simul, & eodem tempore pronunciando super ipsis meritis, & negocio principali, *ut in praxi* seruatur, & notissimum est Rmis PP., non autem per simplex Decretum circumscribere, & *remittere Causam ad aliud Iudicem*, cum hic modus procedendi sit proprius dumtaxat *Supremi Princip.*, & *Signaturæ Iustitiæ*.

6 Reque ipsa idem D. meus exaduerso scribens tunc, quando sustinebat, Auditores Nunciorum Apostolicorum potiri facultatibus *Signaturæ Iustitiæ*, solemniter fassus est, D. Auditorem Nunciaturæ Poloniæ non processisse in figura *Iudicis Appellationis*, sed in figura *Signaturæ Iustitiæ*, prout recognoscere supplicamus in *contraria Informatione distributa in Signatura diei* 24. *Augusti* proximi præteriti *a* §.14. *usque ad* §.18., & signanter etiam *in* §.22. ibi = *Nam ubi Rmus Nuncius* NON IN FIGVRA IVDICIS APPELLATIONIS PROCESSIT *per confirmationem, vel infirmationem præcedentis sententiæ Curiæ Metropolitanæ*, SED QVIDEM IN REPRESENTANTIAM SVPREMI PRINCIPIS, & SIGNATVRÆ, *recognita nullitate, eam circumscripserit*, CAVSÆQVE PERTINENTIAM DECLARAVIT *ad Episcopalem Curiam Cracouiæ, summo jure refutauit contrariam appellationem, dum à similibus Decretis nunquam admittitur appellatio, Eo ferme modo, quod a Rescriptis huius Supremi Tribunalis, seu a Decretis Emi Præfecti, & R. P. D. Auditoris, appellari non licet* =; Unde dum habemus solemnem confessionem ipsius Partis Aduersæ, quod D. Auditor Nunciaturæ processit in figura Signaturæ Iustitiæ, & dum hodie eadem Pars Aduersa fatetur, Nuncios; & multo magis eorum Auditores non habere in *ventre* facultates *Signaturæ Iustitiæ*; jure meritoque hoc Sacrum Tribunal ex defectu jurisdictionis circumscripsit præfatum Decretum Nunciaturæ.

7 Præterea verò, licet profecto in concreto præsenti casus fingi non possit, quod D. Auditor Nunciaturæ processerit in figura Judicis appellationis, dum ex facto & confessione ipsius Partis Aduersæ resultat, quod processit in figura *Signaturæ Iustitiæ*, attamen data hypothesi, quod D. Auditor Nunciaturæ procedere intellexerit in figura Iudicis appellationis, adhuc ex eodem *defectu jurisdictionis* nulliter processisset, proindeque *in decisis* pro circum-

scri-

scriptioni Decreti Nunciaturæ cum omnibus inde sequutis persistendum esset.

8 Constat namque in facto, quod *Instigator* Mensæ Episcopalis Cracouiæ, necnon Præpositus *Szczucinen.*, & Præpositus *Sborouecen.* Aduersarij recurrentes à Sententia Metropolitani, lata die 14. *Aprilis* 1747., de quo *nostro preterito Summario num.* 13., sub die 7. *Ianuarij* 1750. coram Auditore Nunciaturæ præuia *citatione ad Sententiam definitiuam* postularunt = SENTENTIAM DEFINITIVAM FERRI, *eaque mediante BENE' appellatum per suos Principales, MALE' verò iudicatum per Iudicium à quo pronunciari* = vt in *dicto nostro Summario num.* 1.; E' conuerso autem prò parte Principalis petebatur pronunciari = *MALE' appellatum fuisse, Benè verò pronunciatum per Iudicem Metropolitanum &c.* =; Quemadmodum igitur Partes collitigantes non petebant *circumscriptionem* Sententiæ Metropolitani ex capite *nullitatis*, minusque *remissionem* Causæ ad Ordinarium; sed vnicè postulabant definitionem Causæ *super merito*, *seu negocio principali*, prout præsefert Instantia prò *Sententia definitiua*, & pronunciatione = *bene appellatum*, *malè iudicatum*, & respectiue *benè iudicatum*, *malè appellatum*; ita D. Auditor Nunciaturæ CONTRA PARTIVM PETITIONEM promulgando simplex Decretum super *circumscriptione* Sententiæ Metropolitani, & *remissione* Causæ ad Ordinarium, nulliter ex *defectu iurisdictionis* processit, cum Iudex quilibet nonnisi interloqui *possit* super ijs, quæ in Partium libellis continentur, quibus in pronunciando sese conformare debet, iuxtà expressos *Text. in Leg. Vt fundus ff. comm. diuid.*, *& in Clem. sepè contingit de verb. signif.* ibi = *Verùm quia IVXTA' PETITIONIS FORMAM PRONVNCIATIO SEQVI DEBET* = & consentaneè docet cum concordantibus *Marant. part.* 6. *tit. de Sentent. num.* 6.

9 Non solum Decretum Sacræ Nunciaturæ est *nullum*, veluti contrarium petitioni, & libello Partium, verum etiam est *nullum*, quia D. Auditor Nuntiaturæ non pronunciauit iuxtà facultates, quas habent *Iudices Appellationis*; Iudices enim appellationis non aliam habent facultatem, quàm Iudicium appellationis absoluendi, pronunciando *iustam*, vel *iniustam* prouocationem; numquam verò facultatem habent circumscribendi Iudicatum à quo, & simul *absolutionem negocij principalis remittendi* ad Iudicem, à quo fuit prouocatum, vt apertus est *Text. in L. Eos, qui C. de appell.* ibi = *Eos, qui de appellationibus cognoscent, ac iudicabunt. Ita iudicium suum præbere conueniet, vt intelligant, quod cum appellatio, post decisam Litem Sententia, interposita fuerit, NON ex occasione aliqua REMITTERE NEGOCIVM ad Iudicem suum FAS SIT, sed OMNEM CAVSAM PROPRIA SENTENTIA determinare conueniat, cum salubritas legis constituta ad id videatur, vt post Sententiam AB EO, qui de appellatione cognoscit, recursus fieri NON POSSIT ad Iudicem, à quo fuit prouocatum*: Quapropter *REMITTENDI LITIGATORES ad Prouin-*

 cias,

ciat, remotam occasionem, *atque EXCLVSAM PENITVS INTELLIGANT*. *Cum super omni Causa interpositam prouocationem vel iniustam* TANTVM LICEAT *pronunciare*, *vel iustam* = & in *cap. Vt debitus de appellat.*, & docent communiter *Canonistæ*, & *Ciuilistæ* relati in *nostra preterita Informatione* §. 15. 16., & 17.

10 Neque dicatur, vt opponebatur in *præterita contraria Responsione* §. 5., quod Iudex appellationis remittendo Causam decidendam super negocio principali ad Iudicem, qui aliàs in Causa pronunciauerat, grauamen dumtaxat inferat, à quo appellari possit, non autem nulliter procedat, quia respondemus, quod eo ipso, quod Judex appellationis aliter pronunciando quàm super toto negocio principali, nulliter procedit *ex defectu iurisdictionis*, cum iuxtà præcitatum *Text. in Leg. Eos qui ff. de appellat.*, Iudex appellationis totam Causam absoluere debeat, & eidem *omnis adimatur facultas* remittendi absolutionem negocij ad Iudicem, qui alias pronunciauerat in Causa, vt nimis clarè denotant verba illa = NON *ex occasione aliqua remittere negocium ad Iudicem suum FAS SIT* = necnon alia verba = *quapropter remittendi Litigatores ad Prouincias, occasionem &c. EXCLVSAM PENITVS intelligant*; *cum super omni Causa interpositam prouocationem vel iniustam* *TANTVM LICEAT pronunciare, vel iustam* =; verba enim illa = *fas non sit* = *non possit* = *occasionem exclusam penitus intelligant* = *tantum liceat* = sunt abnegatiua *potentiæ*, & *facultatis*, itaut Iudex appellationis aliter pronunciando, nulliter ex defectu *potestatis*, scilicet *iurisdictionis* procedat ex notatis per *Rot. decis.* 41. *num.* 4., & *dec.* 515. *num.* 3. *part.* 3. *Recent.*

11 Hæc quoad circumscriptionem Decreti Nunciaturæ, prò qua circumscriptione *in decisis* persistendum est; Quod verò pertinet ad petitam hodie exaduerso circumscriptionem Sententiæ Metropolitani Gnesnensis, hæc instantia Partis calumniosa vndequaque conspicitur; Quamuis enim in contraria Commissione nulla dicatur Sententia Metropolitani pluribus insanabilibus nullitatibus, videlicet *iurisdictionis*, *citationis*, & *præcipitantiæ*, adhuc tamen veritas stat in contrarium.

12 Et sanè non subsistit ass. nullitas ex defectu iurisdictionis ex eo elicita, quod Causa indecisa penderet in Consistorio Curiæ Cracouiæ, quia id apertè falsum est, dum anno 1743. prefatum Consistorium *definitiuam* protulit *Sententiam* super controuersis Decimis *nostro præterito Summario num.* 8.. Haud obstante, quod Metropolitanus per Decretum latum *die* 18. *Martij* 1744. remisisset Causam ad idem Consistorium Cracouiæ ex quibusdam exortis nouis contingentijs *dicto Summario num.* 9.; Quia occurrit fatalis responsio, quod post dictam remissionem Causæ Consistorium Cracouiæ grauauit summoperè Principalem tùm per expeditionem NOVI SEQVESTRI super Decimis ordinati *die* 25. *Iunij* 1745., *nostro præterito Summario num.* 10., tum per decretam restitutionem tam Decimarum à Principali perceptarum, ac insu-

per

per appositionem etiam SEQVESTRI *super ipso Beneficio Parochiali* cum successiua etiam *relaxatione* *EXECVTORIALIVM*, vt videre supplicamus *in eodem Summario num.* 11. *litt. D.*, *&* *num.* 12.; vnde cum ab istis grauantissimis Decretis denuò Principalis ad Mètropolitanum appellauerit, *dicto Summario num.* 11, *litt. E.*, meritò Causam appellationis, quę vt scitum est, secum trahit currum, & Boues, per definitiuam Metropolitanus absoluere potuit.

13 Rursùs fundamentum nec habet ass. nullitas ex *defectu Citationis* Instigatoris Mensæ Episcopalis Cracoviæ, quia Pars Adversa non transportavit *Acta* in Curia *Gnesnensi* gesta, sed duntaxat *Acta* primæ Instantiæ *præsenti Summario num. primo*; proptereàque cum defectus Citationis consistat *in negatiua*, erui non potest, quàm ex integra Actorum transportatione, vt cum alijs *Rot. coram Lancett. decis.* 626. *num.* 4. *tom.* 2., idque est adeò verum, vt si vnus, aut alter actus omissus fuerit, exuberet ad excludendam probationem defectus citationis, quia præsumptio, quæ stat prò validitate Sententiæ, & Actorum, supponere facit, quod in Actis omissis, & non transportatis necessaria citatio reperiatur in puncto *Rot. cor. Ceccin. dec* 2343. *nu.* 3.

14 Nec dici potest, quod *Acta* Metropolitanæ Curiæ per nos sint *integrè* transportat, quia contrarium etiam patet ex *præsenti Summario num.* 2., *& litt. A.*, & ipsa Pars Adversa fassa est, tùm in prima ejus *contraria Informatione* §. 27., tùm etiam in præterita pariter *contraria Responsione* §. 17., ibi = *Verum defectus Citationis non probetur, quia EXADVERSO TRANSPORTATA NON FVERVNT INTEGRA ACTA, de quibus constare debet ex fide Notarij extrahentis, quæ in casu deficit.* =; Vndè non est, cur hodiè prætendere possit Pars Adversa, quod nos integra Acta transportaverimus, dùm ex Actis Curiæ Metropolitanæ nonnisi transportavimus Sententiam cum contemporanea Instantia, de qua *nostro Summario in calce præteritæ Informationis num. Vnic.*, in qua clare apparet, quod *multæ aliæ Instantiæ præcesserint*, in quibus præsumendum est, adesse vel Mandatum Procuræ Instigatoris in personam Præpositi Sborouecen, vel aliquam comparitionem ab eodem Præposito factam tàm nomine proprio, quàm nomine dd. Instigatoris, vt patet ex nuper *cit. Summ. num. vnic.*

15 Tertia demùm ass. nullitas ex *præcipisantia*, præterquamquod non est *de tribus*, itaut quatenùs vera esset, non exindè Sententia circumscribi posset, dicimus, quod hæc præcipitantia non potest probari nisi transportatis integris Actis eo modo, quo nonnisi ex dicta transportatione Actorum probatur defectus Citationis.

16 Postremò etiam in casu subsistentiæ dictarum ass. nullitatum, quæ plus debito forsan exadverso exagerabuntur, *incongrua*, *& intempestiua* dignoscitur contraria Instantia prò circumscriptione nostræ Sententiæ Metropolitani in Iudicatum etiam transactæ; tùm quia ejusmodi ass. nullitatibus jam tacitè renunciarunt DD.

Ad.

Aduersarij tunc, quando in Tribunali Nunciaturæ postularunt, Sententiam Metropolitani ex solo capite *injustitiæ* revocari, vt diximus *supra* §.8., & docent in puncto *Auctoritates* relatæ in *præt. nostra Informat.* §.16.

17 Tum & fortiùs quia Pars Aduersa nouam hodiernam instantiam uro circumscriptione præfatæ Sententiæ promouit in Supremo hoc Tribunali, postquam *via ordinaria* recursum habuit ad Sacram Nunciaturam Poloniæ *in gradu appellationis*; quocircà, (vt ipsissimis verbis *contrariæ præteritæ Informationis* §.29. vtamur) *in his Facti circumstantiis vana prorsus est, quæ modo excitatur, prætensio circumscriptionis, quam nunquam jure Principis, & modo extraordinario decernere solet hoc Supremum Tribunal, quoties res non est amplius integra, & vbi quis passus fuit vlterius in causa procedi; sed tantum via ordinaria coram Iudice Causæ, vel appellationis præseruatur Instantia* =; & reipsa sicuti hoc Sacrum Tribunal ex hoc solo motivo noluit adhærere nostræ Instantiæ pro circumscriptione *Sequestrorum*, ità etiam ex eodem motivo reijcienda venit contraria Instantia hodiè ad injuriam potius exaduerso promota pro circumscriptione nostræ Sententiæ Metropolitani.

18 Concludimus igitur, contrariam Commissionem signari non posse, quàm cum clausula = *de Causis* =, quia cùm à præfata Sententia Aduersarij appellationem non interposuerint, vt patet, & exaduerso non docetur, certum est, quod in rem judicatam transiverit, quæ nascitur ipso jure, vbi infra terminum decem dierum à succumbente appellatio legitimè interposita non fuerit ad vulgatos *Text. in cap. Quoad consultationem* 15. *de elect.*, & *Re iudic.*

Quare &c.

Antonius Dominicus Franci

SVMAMRIVM

Num. 1.

Processus exaduerso transportatus, & mihi communicatus continet Acta dumtaxat Consistorii Cracouiæ, vt hic patet.
Ex Process. Parti fol. 1

PRocessus in Causa, & actione judiciaria inter Promothorem Fiscalem &c. prò Mensa Cracouien. agentem nec non &c. Reu. Michaelem Bierzinschi &c. Parochialis Pacanouien. Præpositum, tum quoque Reu. Martinum Matlachouschi, Parochialis in Zborovvchi Curatum, Decimarum infrascriptarum, ad dictam Mensam Episcopalem spectantium sequestratorem &c. occasione Decimarum manipularium ex agris siue particulis Slupecen. inter Villas Szebrus, Gace, vtriusque Chumorav, Grabovica existen. Vvielchie Pole, Zastodole, Podiazie, Podstradomie, Ternovusce, Chochancha vocitat., & ex alijs agris in Processu

Cau-

Causæ specificatis &c. *in Iudicio Consistorij Generalis Cracouiensis* mota, & agitata *gestus formatus*, & Parti requirenti in forma probanti, & autentica *extraditus &c.*

Ex Protocollo Actorum, & productis Consistorii Generalis Cracoviensis extractum, & sigillo, Vicarij in spiritualibus, & Officialis Generalis Cracouiensis Abbatis Commendatarij Claræ Tumbæ Communitum.

Franciscus Fiębinschi V.I.D. Commissarius Generalis Cracouien. Actuarius &c.

A
Ex Processu Partis fol. vlt.

Processus in Causa, & actione Iudiciaria *inter &c.* Rev. Antonium Chlecxynschi &c. in Pacanovv Præpositum Principalem, & Successorem Appellantem Actorem ex vna, & &c. Rev. Alexandrum Nadolschi &c. Præpositum Szezucinen. occasione vsurpationis Decimę Manipularis omnis grani, frumenti, & seminis ex Agris, & Araturis *Podiazie*, & *Zastodnle* dictis, nec non alijs Prædialibus in Parua *Slupiec* ex agris natura sua *Szezearuszensibus* in Prædiales ejusdem Villæ Slupiec conuersis, partim per Curiam, partim per Incolas Slupien conseminari solitis provenien. ad dictum Actorem, Ipsiusque Ecclesiam Pacanouien de jure speciali, tum & antiqua possessione spectan., & pertinen. *Citatum partibus* ex altera in *Iudicio Consistorii Generalis Cracoviæ gestus formatus*, & Parte requirenti in forma autentica *ex traditus &c.*

Num. 2.
Processus per nos transportatus, vbi sunt omnia documēto super meritis Causę pariter continet Acta gesta in V. Consistorio Cracouiæ, vt hic constat.

Signatura Justitiæ
R. P. D.

DE SIMONE

Cracovien. Decimarum.

PRO

R.D. Michaele Severino Bierzynski Præposito Eccl. Paroc. Pacanoviensis.

CONTRA

D. Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Cracovien., & RR. DD. Martinum Matlakovuski, & litis &c.

F

Facti cum Reassumatur, & Summario.

17

Typis Bernabò 1753.

Druki wyjątkowe

dotyczące dziewięciu

różnych województw polskich

20.000